

sub n. 10, tenentes deberi legitimam non a die mortis civilis professi in aliqua religione, sed solum a die mortis naturalis ejusdem; at vero nostra sententia est æquior, et æquitati canonice convenit, adeoque servanda in utroque foro, et crebrius recepta: ut expresse concludit Rota recent. part. 1, tom. I, decis. 267, n. 4.

(32. Legitima debetur etiam matri a die emissæ professionis filii. Sic Rota p. 5, dec. 116, n. 16, et seq. ubi dicit quod hæc opinio est verior et æquior; et quamvis plurimi doctores contrarium sentiant per dispositionem juris antiqui. Authent. *Si qua mulier.*, cod. De sacrosanct. Eccles. tamen dicta Authentica fuit correctæ per c. *Cum simus* 14, De Regularibus; imo Glossa in dicta Authentica est illi contraria, ut observat et tenet Rota part. 5, tom. I, decis. 267, n. 9, et ab hac sententia recedendum non esse firmavit eadem Rota, in Tridentina Legitimæ 3 Januarii 1608, coram Ottembergo relata in decis. 116, n. 16, dec. 277, n. 2, et seq. p. 5, tom. I, dec. 110, n. 14, par. 17, in recent. juxta firmata in decis. 138, n. 1 et seq., par. 1, recent. Et hanc sententiam tanquam æquiorrem, et æquitati canonice consonam in utroque foro servari debere dicit Covarruv. in cap. 2, De testam., n. 7. Tondut. Resol. civil., 194, n. 1, p. 2. Ferentil. in addit. ad Burat. dec. 461, n. 16. Sperell. dec. 32, n. 21, Panimoll. p. 3. posthum., decis. 162, n. 18, ubi pro hac sententia plurimos alios citat.

(33. Si vero mater et pater tempore professionis ad secundas nuptias convolaverint, legitimam acquirere non possunt, nisi quoad simplicem usumfructum, non autem quoad proprietatem propter pœnam secundo nubentibus inflictam, in l. *Feminæ*, cod. De secundis nuptiis, eamque servare tenentur filiis primi matrimonii juxta dispositionem dictæ leg. *Feminæ*, cod. De secundis nuptiis. Rota dec. 41, n. 2, et decis. 676, n. 2, 3 et 4, coram Amat. Dunozet. dec. 534, n. 3, usque ad finem coram Martino decis. 96, a n. 1, et pluribus seq. post Pacific. de Salvian. Interdict. decis. 144, n. 9 et 10, par. 18, tom. I, et decis. 691, a n. 9. usque ad 13, ead. par. 13, tom. II, in recent. et doctores passim, quos sequitur car. Petra tom. III. Comment. ad constit. 4. Innoc. IV, sect. 1, a n. 86 ad 92. Vid. ibi.

(34. Intellige tamen in casu quo adhuc existant filii primi matrimonii; secus autem si sint præmortui, et amplius non existant, nec descendentes ex ipsis; quia tunc mater et pater transeuntes ad secundas nuptias, non consentunt privati filiorum hæreditate, et legitima, etiam quoad proprietatem, quæ eo casu consolidatur cum usufructu. Rota part. 1, recent. decis. 479, n. 9, vers. *Sed cessat omnis difficultas*, Bald. consil. 317, lib. v. Aretin. consil. 40, n. 4. Decius in cap. *Ecclesie Sanctæ Mariæ*, col. 16, n. 122, vers. *Secunda conclusio*, De constit. Amat. Dunozet, decis. 641, n. 3, tom. I, et alii passim.

(35. Si vero præmortuis filiis, existant adhuc nepotes, et alii descendentes, proprie-

tas talis legitimæ erit servanda pro ipsis, textu expresso in l. *Feminæ* § *Illud.*, cod. De secund. nupt., ibi: « Nullum ex priori matrimonio habuerit successorem, » et leg. In quibus 7. cod. eodem tit., ibi: « Filio, vel filia nepote, et nepte, vel pluribus relictis, » et in l. Si quis prioris 8, cod. eod. tit. ibi: « Filiis a se vel nepotibus, vel pronepotibus relictis. » Et ratio est, quia pœnæ secundo nubentium inductæ fuerunt, nedum favore filiorum, sed totius posteritatis. Bertrand. consil. 166, n. 1, lib. i. Ruin. in consil. 58, n. 8, lib. v. Panimoll. part. 3, Posthum., decis. 151, n. 34, et seq. cum pluribus aliis ibi citatis.

(36. Quando monasterium tenetur solvere legitimam filiis patris professi, debet eam tradere, etiamsi filii præcedant patri, cum jus exigendi legitimam transmittatur ad ejus hæredes, etiamsi non fuerit petita. Merlin. De legitima, l. v, t. III, quæst. 3, n. 15. Honded. consil. 60, l. ii. Panimoll. loc. cit., n. 41, et alii. (37. Imo transit ad hæredes etiam extraneos, quamvis filius in vita legitimam, vel supplementum non petierit. Craver., consil. 312, n. 4. Alexander consil. 55, et consil. 250, lib. ii. Decius consil. 81, et consil. 303. Anton. De tempore legati, lib. ii, cap. 98, n. 18. Salicet. in l. Scimus, cod. De inofficios. testament. Panimoll. loc. cit., n. 42, et alii adducti a Gratian. Discept. forens., cap. 271, n. 14, tom. II. (38. Quinimo hoc jus petendi legitimam etiam filiis monachus transmittit ad monasterium, quamvis ignoraverit. Menoch. consil. 78, n. 8. Castr. consil. 34. Ego Paulus ad fin., n. 4, l. i. Boer. d. 250, n. 4, quos refert Gratian. dict. discept. 271, n. 15, tom. II, Panimoll. loc. cit., n. 43, et alii.

(39. Legitima non debetur, nec peti potest a filio, viventibus adhuc parentibus. Rota recent. par. 4, tom. I, dec. 235, n. 14, par. 4, tom. II, dec. 203, n. 10, et dec. 459, n. 7, par. 5, tom. I, dec. 141, n. 5, part. 11, dec. 180, n. 8, part. 14, dec. 417, n. 25. Panimoll. l. c., n. 17, et alii communiter. (40. Et hoc procedit etiam respectu nepotis in bonis Avi. Rota par. 3, recent. dec. 446, n. 3.

(41. Quamvis autem filio non debeatur legitima ante obitum patris, potest tamen a patre vivente persolvi. Rota par. 4, tom. I, dec. 623, sub n. 2, et Annotat. ad dec. 29, n. 27, par. 8. Dummodo interveniat consensus filii. Rota par. 19, tom. I, dec. 243, n. 1 et 2. (42. Quo casu si legitimam filius acceptavit in vita patris, amplius reclamare non potest, etiamsi augeantur postea facultates paternæ. Rota part. 18, tom. I, dec. 385, n. 5, Et in eo casu pater ad nihil ulterius tenetur, si legitimam ab eo vivente assignatam filius dilapidet. Rota p. 19, tom. I, dec. 344, n. 9.

(43. Legitima sicuti non debetur filiis ex bonis parentum adhuc viventium; ita non debetur parentibus ex bonis filiorum pariter viventium, par. 10, dec. 326, n. 41. (44. In casu autem quo pater in vita dissiparet bona sua, posset cogi ad assignandam legitimam filio, et in simili casu posset cogi filius ad assignandam legitimam patri. Rota

p. 8, dec. 488, n. 5, et Ann. ad dec. 29, n. 29, et late seq. p. 1.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. De legitima tria hic omittenda haud sunt; primum est, quod si legitima ex nuda juris dispositione debeat, pro ea non nisi conditio ex lege competit, non item actio hypothecaria. (46. Quod si debeat præterea legitima ex judicio defuncti, competit pro ipsa hypothecaria actio; (47. dummodo tamen legitimarius, obsequendo judicio defuncti, legitimam detrahere velit juxta formam ab ipso præscriptam; secus e contra; Rota in Romana, seu Senen. Legitimæ 20 Febr. 1747, et 2 Junii ejusdem anni 1747, coram eminentis. Bussio.

(48. Alterum est, quod dispositio textus in leg. *Jubemus*, quod soli filii non teneantur imputare fructus in Trebellianicam, posteriores vero descendentes teneantur, trahi haud potest ad legitimam, (49. nam nec filii, nec posteriores descendentes, quibus legitima debetur, imputare tenentur fructus in legi-

LEGITIMATIO.

SUMMARIUM.

1.* Quando legitimatio prolis per subsequens matrimonium fieri possit: ad n. 5 — 6. Agitur de irregularitate ex defectu natalium ubi nonnulla ad

*Per subsequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero, num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Benedict. XIV. Bull. tom. I, n. 113, epist. incip. *Redditæ Nobis*.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Sub v. *Filius*, Lucius noster agit de legitimatione prolis per subsequens matrimonium, ut pro variis casibus videre est ibi, n. 32 et seqq.

(2. Liceat amplius sequentia ex Barbosa notare: « Advertendum duxi, sic ille, in hac materia (legitimationis) non omnes filios ex iisdem parentibus ante tale matrimonium natos, per subsequens matrimonium legitimari, sed solum naturales; ille autem naturalis reputandus est, qui, licet conceptus ex iis parentibus sit, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens matrimonium, quod tempore natiuitatis jam cessaverat, veluti si soluta concepit ex conjugato; at vero tempore natiuitatis filii mortua erat uxor illius conjugati; vel si soluta concepit ex consanguineo, et affine, et tempore natiuitatis filii obtenta erat dispensatio, ut contrahere possent; tunc tali casu filius natus est naturalis, et non spurius, eo quod status filii ex tempore conceptionis, aut natiuitatis, prout magis tali filio erit expediens, est judicandum... Unde colligitur parentes habiles ad contrahendum, ut eorum filii per subsequens ma-

timam: Rota in Bonon. Pecuniaria 3 Martii 1747, et 1 Jun. ejusdem anni 1747, coram bon. mem. Vicecom.

(50. Tertium est, quod non nisi cautela socini prohiberi a patre filiis potest legitima. Quando vero adhibita dici possit necne cautela socini, tradit Rota in Romana immissionis 16 Februarii 1742, et 4 Maii ejusdem anni 1742, coram illustrissimo Molino in civitatis plebis; manutationis 29 Jan. 1745, et 30 Apr. ejusdem anni coram bon. mem. de Vais, in Bononien. Pecuniaria 3 Martii 1747, et 16 Junii ejusdem anni 1747, coram bon. mem. Vicecom. et 4 Maii 1748, coram Illustris. Clement.

(51. Cæterum si filius nec expresse, nec tacite acceptet prohibitionem legitimæ, tametsi factam cum cautela socini, non excluditur a jure ipsam petendi; Rota in Romana Hæreditatis 5 Martii 1742, cor. b. m. Nunez. (52. Quando vero Filius acceptasse dici possit, necne, prohibitionem legitimæ cum cautela socini, vide Rot. apud paulo ante citatas decisiones.

rem.—7. Affertur integra epistola Benedicti XIV *Redditæ Nobis*, ubi de legitimatione prolis per subsequens matrimonium late disseritur.

trimonium legitimentur, esse debere tempore conceptionis, vel partus, prout sit uti lius, et tempore, quo conjugium celebratur nulla cura habenda de tempore intermedio et intermediis parentum nuptiis... Ratio est, quia favor filiorum postulat, ut tempus illud attendatur, quod ipsis favorabilis est. » Collect. DD. in lib. iv decret., tit. 17. Qui filii sint legitimi, cap. *Tanta*, 6, n. 30 et 31.

Pari modo Reiffenstuel sic habet: « Infer tur... quod, si vir, vivente uxore sua, aliam imprægnat, et uxor dein moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimitur per subsequens parentum matrimonium. Nec obstat huic celebrationi cap. *Tanta* 6, tit. 17. Qui filii sint legitimi, ubi talem partum non legitimari, decidi videtur. Nam contra est, quod ibi sit sermo de casu, quo adulterinus partus editus est ante mortem uxoris, uti patet ex illis verbis: *Si vir, vivente uxore, ex alia prolem susceperit*, quia proles suscepta non dicitur ante natiuitatem. » Ad tit. 17, ex. Qui filii sint legitimi, § 2, n. 40.

(3. Neque obstat Justinianum l. xi, cod. De natur. liberis, Novell. 12, cap. 4, Novell. 89, cap. 8, videri requirere ad legitimationem prolis per subsequens matrimonium, ut tempore, non solum natiuitatis, sed et conceptionis (ipsius prolis), inter parentes connubium potuerit haberi. Nam etsi ita se haberent hujusmodi imperatoris leges, passim tradunt doctores, per humaniores mores illas fuisse subactas. Inspicere igitur haud oportet invisam parentum venerem, ubi legitimis nuptiis vitium sit emendatum.

4 « Quod si aliquis ex adulterio conceptus, et vivente legitimo marito natus sit, non fiet legitimus, quamvis marito mortuo, mater ejus ab adultero in uxorem ducatur; similiter nec jura legitimorum consequitur, qui ex incestu cum consanguinea genitus est, licet post ejus nativitate mater per dispensationem in uxorem ducatur, nisi ante nativitate in utroque casu impedimentum (in priori per mortem mariti, in altero per dispensationem) fuisset sublatum » Engel ad Tit. 17, ex. *Qui filii sint legitimi*, n. 11. Reiffenst. loc. cit., n. 41.

5. « Sed hic quaeritur, sic idem Engel, an ignorantia impedimenti patrocinetur filio? An qui v. g. natus quidem ex consanguinea, parentibus tamen consanguinitatem ignorantibus, legitimus censeatur, si postea per dispensationem matrimonium contrahatur? Negative respondet Barbosa... Contrariam tamen sententiam aliquando in Rota Romana praevaluisse ex Cassiodoro refert (idem) Barbosa... eaque etiam apud nos in praxi recepta est. Ratio mihi videtur esse valde efficax, quod talis filius non sit natus ex formali incestu, nec parentes in tali casu tanquam incestuosi propter ignorantiam impedimenti poena incestus ordinaria puniuntur, ergo in materia favorabili non venit nomine incestuosi. » Loc. cit., n. 12.

6. Hic porro addendum, quod licet omnes illegitimi in genere sint irregulares; « Valde autem probabiliter dicunt Sanchez De matrim., l. viii, d. 7, n. 19. Pontius eod. tit., cap. 3, n. 2. Anacl. pag. 506, n. 33. Bonac... et Salmat... cum Sayr. Pelliz. Diana, et Corn. contra Suarez. D. 50 sect. 1, n. 3. Tourn. tom. II, pag. 26, sufficere ad legitimandam prolem, et eam reddendam immunem a defectu natalium, quod matrimonium fieri poterat tempore nativitate, ut colligitur ex c. d. *Tanta*. Qui filii sint leg. ubi dicitur, quod proles est illegitima, si vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit. Susceptio enim prolis fit verius non per conceptionem, sed per nativitate; saltem ibi pontifex certe loquitur de filio jam nato, dum ait illum ab hereditate repellendum; ergo cum oppositum saltem sit dubium dubietate juris, non censetur in eo casu imposita irregularitas, quae non incurritur, nisi in jure sit expressa. Et novissime Benedictus XIV hanc sententiam amplissima dissertatione in forma epistolae in Bull. suo, tom. I, in ordine 113, responsiva ad archiep. S. Dominici in insula Hispaniola illustravit, et sic de hoc casu § 3. suum sensum aperuit: « In qua controversia satis ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversentur, si a Nobis iudicium interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum. » In § 4, procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit: « Sed cum certum est, matrimonium inter illius parentes contractum, incertum vero tempus, quo

« filius conceptus, et in lucem editus fuerit, « filium hunc legitimum censeremus, cum « iudex in dubio debeat in bonum et com- « moda prolis propensus esse. » Sic D. Alph. de Ligorio, De irregul., n. 422.

7. Denique operae pretium est in hac de legitimatione prolis per subsequens matrimonium materia, integram afferre cit. a de Ligorio epistolam Bened. XIV, incip. *Redditæ Nobis*, quippe in qua tam sapienter ac erudite rem totam praestantissimus hie Pontifex explanavit, ut nihil supra. En tenor epistolae.

VENERABILI FRATRI ARCHIEPISCOPO SANCTI DOMINICI IN INSULA HISPANIOLA.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Redditæ Nobis altero ab hinc mense fuerunt litterae tuae xxvii Maii proxime elapsi ad Nos scriptae, ac typis impressae, quibus occurrentem istic ejuisdem facti speciem enarras, et Nostram super eo sententiam requiris. Non te latere arbitramur, nullum Nos diem vacuum habere, cum gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quam pene jam obruamur; in hisce praesertim asperitatibus rerum, quibus undique conflictamur, et quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse non dubitamus. Sed tamen ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, venerabilis Frater, et quanto dignitatem Episcopalis characteris, quo praefulges, in honore habemus, aliqua temporis spatia reperire, et colligere studuimus, eaque in evolvendis privatae Bibliothecae Nostrae libris insumpsimus, quo possemus propositae abs te quaestioni respondere. Quod quidem praesentibus Nostris litteris facimus, non tamen ex Auctoritate Apostolicae sedis, quam meritis licet imparibus obtinemus, sed meram sustententes personam doctoris privati, cujus vitae aetas fere omnis in sacrorum canonum studiis, quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa Nobis est ea quaestio Pontificiae Decisionis oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternalitas Tua probe poterit intelligere.

§ 1. Itaque casus est: Vir nobilis uxortus rem habuit, stante matrimonio cum libera muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta vero uxore matrimonium contraxit cum praedicta muliere, quae duos, ut praefertur, filios ei pepererat. Horum alter jam mortem obierat; atque ille procul dubio natus erat priori uxore in vivis agente. Alter superstes est, sed nondum satis est exploratum an, eadem prima uxore vivente, conceptus aut natus fuerit. Dubitatur de utroque, an legitimi, sive spurii sint habendi; seu potius, an per subsequens matrimonium cum ipsorum matre contractum, ambo censendi sint legitimi.

§ 2. Porro, admissa canonici juris regula, quam Nos verissimam iudicamus,

quamque, ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse arbitramur: quod nempe, licet proles ante matrimonium nata, legitima fiat per subsequens matrimonium inter parentes rite contractum; attamen id duntaxat locum habeat, cum copula intercesserit inter liberum et liberam, non autem ubi alter ex parentibus matrimonio ligatus foret; tunc enim proles ante secundas nuptias nata nequaquam fit legitima, quamvis adulter, post mortem prioris uxoris, verum et legitimus cum ejus matre contrahat matrimonium, hac, inquam, regula semel admissa, evidens est filium illum praemortuum, qui natus est, prima uxore superstite, legitimus non evasisse per matrimonium cum ipsius matre contractum, postquam prima uxor e vivis excesserat.

§ 3. Quod vero ad alterum filium adhuc viventem attinet: si constaret, saltem hunc natum esse post mortem primae uxoris, quam illius pater habuerat, quamvis ea superstite conceptus fuisset, in arduam illam controversiam deduceremur, quae inter doctores, ut nosti, agitur, an scilicet pro statuenda prolis legitimatione ejusdem nativitate tempus attendi debeat, an praeterea habenda sit ratio temporis ejusdem conceptus, in qua controversia, satis, ut praediximus, ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cumque doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adversentur, si a Nobis iudicium nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus, et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum.

§ 4. Cum vero hactenus, ut scribis, incertum sit quo tempore filius ille vivens conceptus, quoque in lucem editus fuerit, solumque constet de morte prioris uxoris, et de secundo cum altera muliere matrimonio, supervacaneum, extraneumque remanet examen praefatae controversiae, an ad effectum legitimationis prolis, tempus nativitate duntaxat, an etiam tempus conceptus attendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, cum certum sit matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius idem conceptus et in lucem editus fuit, si nostrum de eo iudicium exquireretur, filium hunc legitimum censeremus, cum iudex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse.

§ 5. Equidem intelligimus, hanc Nostram responsionem neque desiderio tuo, neque praconceptae opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam; propterea quod utrosque praefatos filios, per subsequens matrimonium, legitimos fuisse declarari velles. Neque porro opinioni, quam fovet; eo quod existimes, filios etiam ex adulterio procreatos legitimi, superveniente matrimonio inter adulteram, et patrem, conjuge jam defuncta. Verum aequo animo feras volumus, Nos ad haec asseverando reponere, quod filii ante matrimonium nati legitimantur utique per subsequens matrimonium, si tamen ex soluto et

soluto fuerint procreati, ut, inhærendo canonicis sanctionibus, definitum fuit a praedecessore nostro Alexandro Papa III, in cap. *Conquestus*, Qui filii sint legitimi; secus autem si iidem filii orti sint ex patre, qui de eo tempore cum alia muliere matrimonio conjunctus erat; licet ea postea e vivis sublata, aliam illam duxerit ex qua prolem susceperat, ut idem Alexander III. respondit in cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi: cujus verba sunt, quae sequuntur: « Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab hereditate repellendus; praesertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus. »

§ 6. Neque vero postremis hisce veris commoveri debes, ac si ex illis colligi posset minime ab Alexandro definitum fuisse quod proles ex adulterio suscepta, per subsequens matrimonium legitimi nequeat; sed illud duntaxat, quod nempe proles legitima non fiat, si contra vitam prioris uxoris alteruter ex parentibus adulteris machinatus fuerit. Etenim animadvertere te oportet, verbum illud a Pontifice usurpatum, praesertim; quod idem sonat, ac multo magis; ita ut vera Decretalis illius sententia sit, quod cum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, et ab hereditate repellenda, etiamsi legitimus postea ineat inter parentes matrimonium, multo magis id procedat, ubi alteruter in prioris uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo minime sequitur quod proles ex adulterio nata, si machinatio absit, legitimetur per subsequens matrimonium; sed palam fit, ejusmodi prolem ex adulterio susceptam, ideoque per subsequens matrimonium nequam legitimandam, multo majori ratione legitimam nunquam fieri, si alter ex parentibus adulteris contra vitam prioris uxoris sit machinatus. Qua de re optime opportunèque disserit Gonzalez in cap. 6, n. 6. Qui filii sint legitimi, per haec verba: « Arguit Alexander III de minori ad majus; nam si filii spurii non legitimantur per subsequens parentum matrimonium; multo minus per matrimonium nullum, quale est quod contrahitur quum alter ex conjugibus in necem conjugis machinatus est. »

§ 7. Sane a te dissimulata non fuit dispositio relatæ Decretalis Alexandri III, in cit. cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi; quinimo ultro fateris, communem doctorum opinionem eam esse, quae nuper a Nobis exposita fuit; nimirum prolem ex adulterio progentam per subsequens matrimonium nequam legitimari. Verumtamen aperte declaras, nullam sententiam, quantumvis communi canonistarum calculo comprobatam, apud te valere, nisi eadem in textu canonico fundata sit, illique innitatur; hanc autem sententiam, de qua agitur, minime dici posse canonico textui innixam esse; quo-

niam inspecta Decretali Alexandri III, non quidem mutila, atque contracta, prout jacet in nostra Decretalium collectione, a Gregorio Papa IX confecta, sed in sua integritate manifeste, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem illegitimam declarasse prolem illam ex adulterio procreatam, quamvis ejus pater, defuncta priori uxore, adulteram sibi matrimonio junxisset, quia nimirum Alexandri ætate vigeat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat adultero, etiam post mortem prioris uxoris, matrimonium cum adultera valide contrahere; et quia tota Decretali perfecta, perspicuum est, in eo casu, præter adulterium, adfuisse etiam machinationem adulteræ contra vitam prioris uxoris. Quibus positis, deinde concludis quod cum, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, adulterium præcedens non habeatur pro impedimento dirimente matrimonium inter mœchum, et mœcham, nisi conjunctum sit, vel cum machinatione, vel cum fide data futuri matrimonii; cumque in proposita facti specie nullum indicium adsit machinationis in prioris uxoris necem intentatæ; nullum propterea adduci valeat obstaculum adversus proles legitimationem, secuto jam inter ipsius parentes legitimo matrimonio; atque adeo tuum illud systema, firmiter, ut putas, stabilitur, nimirum subsequente matrimonio legitimi prolem, etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio non accedat aut machinatio adversus prioris conjugis vitam, aut promissio matrimonii post prioris conjugis mortem inter adulteros contrahendi.

§ 8. Profecto ut ingenue loquamur, Venerabilis Frater, displicet Nobis tua hæc ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius, et audacius, quam par est, intraspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opiniones doctorum communes non ita facile parvipendendas esse; idque didicimus ex celeberrimo vestrate Melchioris Cano, qui in suo tractatu De locis theologicis, lib. viii, cap. 7, ita de communibus canonistarum sententiis, in his, quæ pertinent ad doctrinam canonum, loquitur: « In hujusmodi canonum interpretatione Ecclesiæ iudices, et administri concordem omnium jurisconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis, suo sensu, et non communi jurisperitorum omnium doceretur, sine dubio suo illum iudicio Ecclesia coerceret. »

§ 9. Præterea minus recte Nobis videris de compilatione Decretalium Gregorii IX judicare. Non hic agitur de Gratiani decreto, quod utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque Decretalium compilationibus, quæ Gregorii IX opus præcesserant, et quarum nonnullæ a privatis auctoribus concinnatæ fuerunt. Res est de sexta illa Compilatione, quam Gregorius Pontifex a Sancto Raymundo de Pennafort adornari jussit, quamque approbatione Pontificia mu-

nivit, mandans, ut ea sola deinceps in Tribunalibus et Scholis deberet usurpari. En illius verba in præfatione Decretalium: « Volentes igitur, ut hæc tantum Compilatione universi utantur in Judiciis et in Scholis, districtius prohibemus, ut quis præsumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicæ. »

§ 10. Non latuit Gregorium, multa in Decretalibus resecata fuisse ab earum compilatore, cum idem Pontifex in dicta præfatione hoc ipsum innuat, iis verbis: *resecatis superfluis*; voluit tamen singulis constitutionibus, præfixum manere nomen earum auctoris. Idem quoque deinceps præstitit Bonifacius VIII, in sua compilatione libri vi, similium Decretalium a Romanis Pontificibus conditarum, quibus licet multimodo, ubi opus fuit, a se immutatis, atque truncatis, nihilominus præfixum reliquit auctorum nomen: Siquidem ipse Bonifacius sic loquitur in præmio: « Pluribus plane resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus et additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipsis. » Constat etiam Clementem Papam V, pari modo se gessisse, dum suo Clementinarum libro inseruit concilii Viennensis constitutiones, tamquam a seipso factas in eodem concilio, quamvis synodo peracta eas rescasset atque mutasset, uti testatur Joann. Andreas in Glossa ad præfationem earundem Clementinarum: « Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas, et paucas in totum reservaverunt; aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata; in aliquibus menti et verbis detraxerunt et addiderunt, et has, licet non sub his verbis in concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine concilii reservari. » Quod pariter testatur Bernardus Guidonus, auctor illius ætatis, in suo codice manuscripto, qui in Bibliotheca nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus Historiis de vita ejusdem Pontificis a Balutio publicatis.

§ 11. Qua in re prædicti Pontifices Gregorius, Bonifacius, et Clemens exemplum secuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum Jurisconsultorum, qui veteres leges, responsa Prudentum, et præcedentium imperatorum codices in corpus juris civilis nostri redigentes, non dubitarunt, quæcumque opus erant, emendare, corrigere et immutare; et nihilominus auctorum nomina singulis responsis et legibus præfixa reliquerunt; accedente nimirum expressa Justiniani imperatoris approbatione; cujus hæc verba sunt, in promulgatione Pandectarum, et Codicis, senatui, populoque Constantinopolitano perscripta: « Tanta autem a Nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina Prudentum taciturnitati tradere nullo modo patiamur: sed unusquisque eorum, qui auctor legis fuit, nostris digestis inscriptus est, ut si quid legibus eorum supervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum visum esset, vel adjectionem, vel

diminutionem necessariam accipiat. » Et infra: « Nam nomina quidem veteribus servavimus, legum autem veritatem nostram facimus. Et alibi: Nominibus enim veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum, et necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus. »

§ 12. Sic igitur prædecessor noster Greg. IX suam confici jussit Decretalium compilationem qua hodie in scholis et in foro utimur, eamque, abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate, et Pontificia confirmatione munivit. Huic collectioni insertam voluit Decretalem Alexandri III, demptis ex ea verbis illis quibus, ut contendis, indicabatur matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum, et nullum fuisse, nimirum, et quia cum adultera contractum fuerat, et quia machinatio in necem prioris uxoris præcesserat. Retulit vero alia verba, ex quibus, ut jacet, consideratis, eruitur sententia superior a Nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata nequam legitimatur per subsequens matrimonium, post mortem prioris uxoris cum adultera contractum. Non tamen ex ea Decretali nomen Alexandri III delevit: omnia hæc pro concessis interim habeto. Verum his positis, quidnam inde pro sententia tua erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, imo non aliter debuit facere quam fecit. In animo illi erat locum dare in nova compilatione Decretali Innocentii III, quæ incipit *Significasti*, quæque legitur sub titulo, De eo, qui duxit in matrimonium, etc. In hac decretali Innoc. III, quæ posterior est alia ab Alexandro III condita, manifeste definitur (quod et ipse agnoscis) matrimonium inter adulterum et adulteram consistere posse, nisi machinatio sæpe dicta, aut promissio futuri matrimonii præcesserit: « Discretionem vestræ, Innocentius ait, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum iudices. » Cum autem Gregorius collocare vellet in sua collectione tum Decretalem hanc Innocentii III, tum alteram Alexandri III, plane vides, necesse illi fuisse abjicere ab hac Alexandrina Decretali verba illa, quæ, tuo iudicio, nullitatem matrimonii inter adulterum et adulteram statuebant.

§ 13. Nunc igitur, bona fide disserendo, iterum quærimus: quid tandem illud est quod contendis? Filiosne illos, de quibus agitur, legitimos esse propterea quod juxta decretalem integram Alexandri III, pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III et Gregorio IX declarantur, et quia, malo ipsorum fato, nonnullis jam sæculis post horum Pontificum mortem in lucem sunt editi. An manifestum fieri cupis, te scientiam sacerorum canonum funditus callere, neque contentum esse his quæ in Gregoriana compilatione leguntur, sed altius ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil

tui controversiæ nobiscum de hoc erit, venerabilis frater: diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus; nemo tibi succensere poterit, quod integram decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quæ in Gregoriana compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen memineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui decretalem integram consulit, ut eam quæ integra non est, perfectius intelligat; quemadmodum optime advertit clarissimus Antonius Augustinus in sua præfatione Gregorio XIII Pontifici Maximo inscripta, quam præmisit volumini quatuor priorum compilationum Litterarum decretalium, quas ipse edidit; quibusque deinceps quintam adiecit Innocentius Cironius: sed neque probandum scito, neque ferendum, quod quis ad integram decretalem confugiat, ubi perspicua et dilucida est illa quæ aliquo modo mutilata fuit; et si quid huic deesse dignoscitur, id eo jubente ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate; eaque de causa detractum, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve turbari illam, et nutare contigeret, si tota decretalis nova compilationi inserta fuisset.

§ 14. Hucusque disseruimus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro certo ponis, aliquod interesse discrimen inter decretalem integram Alexandri III, aliamque contractam; et quidem in integra decretali nullum declarari matrimonium ibi relatum, ex duplici capite; tum scilicet, quia inter adulteros, defuncta uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat in vitam prioris uxoris; et ex utroque præfato capite simul considerato, prolem illegitimam censerit: mutilam vero decretalem validum admittere matrimonium cum adultera contractum post mortem prioris uxoris; et tunc solum hujusmodi matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenit; sed prolem nihilominus illegitimam declarari, tam in uno, quam in altero casu, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis adulterii, ex quo eadem proles progenita fecerit, quam ex causa præcedentis parentum machinationis in necem legitime uxoris. Hæc, inquam, tibi hactenus concessa voluimus. Nunc vero aggredimur demonstrare, decretalem, tam integram quam minus integram, sibi metipsi perfecte constare, eandemque prorsus esse utriusque sententiam.

§ 15. Integra decretalis, quæ refertur tom. VI, pag. 2, Conciliorum Collectionis Harduini, pag. 1819, ita se habet: « Meminimus Nos fraternitati tuæ, super causa, quæ inter P. et R. de quadam hæreditate vertitur, quod idem P. nomine Sibyllæ uxoris suæ petebat, tali modo scripsisse; ut si constaret, prout Litteræ tuæ conlinebant, inter R. patrem, et matrem, post ejus nativitatem, matrimonium fuisse contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum esse denunties, et ab hære litate paterna propter causam prædictam nullatenus deberet repelli. Tanta